



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

V. Quatenus alij de obiecto attributionis Dialecticæ sentiant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

butionis logicæ sententias inuadit: etenim si non honestas nostrorum actuum aut ipsimet actus nostri quomodolibet iumpti, aut etiam ens morale, sed beatitudo ab his distincta & eis posterior, est ethica finis ac subiectum, pari iure non solum veritas actuum intellectus, imò nec ipsi actus videlicet definitio, diuisio, demonstratio, propositio, aliue qualeslibet, aut etiam ens rationis erunt obiectum attributionis dialecticæ. Præcisè respondeo, beatitudinem quidem esse obiectum attributionis, ac finem vltimum & intrinsecum ethicæ, vt probat argumentum, & perspicue docet Aristoteles 1. eth. cap. 13. *quoniam felicitas anima per virtutem perfectam operatio quedam est, de virtute considerandum videtur: hoc enim modo fortasse efficietur, vt melius de felicitate etiam contemplerur.* Cæterum beatitudinem non nudè sumptam, sed prout maximè consequibilem merito honestatis ac rectitudinis moralis, eiusmodi rationem finis ac subiecti obtinere, sicut animaduertit Auerfa quæst. 2. log. f. 5. parum ab initio, Henricus Kresbein in proleg. Eth. Conimbr. etiam in procem. Eth. & in vestibulo disp. 1. & alij quos refert Piccolomineus in introd. cap. 2. Cum ergo honestas nostrorum actuum constituat beatitudinem naturalem proximè consequibilem, & beatitudo nisi vt ita consequibilis non sit obiectum attributionis ethicæ; sanè hæc etiam honestatem actuum voluntatis velut subiectum respicit: nihil ergo vetat, quo minus veritas similiter logicæ nostræ tanquam finis subiiciatur. Id tamen discriminis est inter logicam & ethicam, vt simili in re notauit Auerfa loco citato, quod ethica aliud præter honestatem intrinsecè attingit, scilicet beatitudinem ea comparandam: vnde finis ethicæ eius præceptis consequibilis non vnus sed duplex est, beatitudo videlicet & honestas moralis, hæc finis *quo*, illa finis *qui*: vterque autem vnum subiectum constituit ac perficit. Cæterum dialectica ita considerat veritatem actuum intellectus, vt eam in aliud nihil vterius referat, quod ipsa intrinsecè respiciat: proinde sola veritas erit eius subiectum & vltimus finis.

41 Vigesima aduersus nostram sententiam difficultas, & superioris confirmatio. Argumentum illud quo superius probare conati sumus, veritatem esse obiectum attributionis dialecticæ, propter id quod honestas moralis est subiectum ethicæ, vt alicuius esset roboris; profectò talis honestas deberet iuxta omnes ethicæ subiici, & vltimus finis ac obiectum attributionis esse; at plerique contrarium docent, vt cernere est apud P. Theophil. in prologo discip. moral. §. 2. n. 10. Respondeo, neminem esse, qui reuera honestatem seu rectitudinem moralem nostrorum actuum non censeat esse obiectum attributionis ethicæ: Qui enim docent beatitudinem eius esse subiectum, loquuntur de beatitudine prout exequibili per actus rectos & honestos; hos ergo à ratione subiecti non excludunt: Præterea, qui hominem vt agentem liberè, cum Donato Acciaiuolo, vel vt voluntariè agentem propter finem vtique hominis proprium & vltimum, cum B. Thoma 1. eth. lec. 1. volunt esse subiectum ethicæ, nobiscum etiam faciunt; cum libera & voluntaria actio hominis ad eius finem conducent debet esse honesta ac recta. Deinde eandem honestatem adhuc clarius ethicæ velut finem subiiciunt, qui eius subiectum volunt esse cum Iauello hominem vt mente sanabilem; cum Alberto bonum hominis vt homo est; cum Aureolo hominem vt ratione dirigibilem, & cum aliis ideam rectarum mentis operationum. Vide P. Theophi-

lum suprà n. 2. nobiscum sentientem, & reliquorum sententias nostræ conciliantem, solito acumine & eruditione.

Postrema aduersus nostram sententiam difficultas, est quam facessunt tot obiecta attributionis logicæ ab aliis assignata: Eorum tamen siluulam cap. seq. præcedemus.

C A P V T V.

Quatenus alij de obiecto attributionis dialecticæ sentiant?

43 Prima sententia est, actum intellectus in comuni, & prout comprehendit apprehensionem, iudicium, & discursum esse subiectum dialecticæ: Ita Algazel in log. c. 1. & 2. ac nonnulli apud Scotum q. 1. de prædicab. item directè, Auerfa q. 2. log. f. 5. conclus. 1. vbi alios multos in eandem sententiam trahere conatur, sed vereor ne inuitos: referri etiam solent Aristoteles, Augustinus, Isidorus, Fabius, Zeno, Stoicus, & alij plures, eò quod logicam scientiam rationalem vocent; quasi vero ita appellari non posset, propter id quod rationis maximum bonum, eius scilicet veritas & rectitudo, sit eius subiectum, quin necesse sit ipsos rationis actus quomodocunque aliter sumptos aut secundum se spectatos eam subiecti rationem obtinere, vt aduersarij nominis ethymo abutentes contendunt. Altera sententia est propositionem siue iudicium esse obiectum attributionis dialecticæ: pro qua referri ab aliquibus solent Stoici apud Ciceronem initio topicorum ad Trebatium, quod ibi dicantur ea scientia quæ dialectica appellatur, iudicandi vias diligenter perscrutatos fuisse. Cæterum nihil fauent: tum quia sermonem habent de dialectica non latè & vniuersaliter sumpta, sed de ea strictius vtrpata, & prout vnā differendi rationem, videlicet iudicandi, non verò aliam, nempe topicam siue inueniendi artem complectitur: vt constat ex Cicerone loco citato: tum etiam quia illa ipsa pars dialecticæ, de qua loquuntur iuxta ipsos non habet pro subiecto iudicium prout est secunda mentis operatio magis quam prout est tertia & ex præmissis effecta: imò iudicium neutro modo sumptum iuxta eos est obiectum attributionis logicæ, sed duntaxat quatenus verum à falso dilucidat, vt ex ipsis c. 1. ostendimus. Tertia sententia nuper relata affinis, est quorundam recentiorum opinantium ens enunciabile tam formale quam obiectum, siue enunciationem & rem enunciatam, esse subiectum logicæ: arbitror tamen hanc sententiam frustra adinuentam esse, post illam priorem, vt potè quæ propositionem dialecticæ subiiciens, rem ea cognitam ac iudicatam etiam à ratione talis subiecti non excludit, haud aliter atque cum visio Dei dicitur finis vltimus hominis eiusque beatitudo supernaturalis, eo ipso Deus esse etiam finis & beatitudo nostra non negatur, sed affirmatur.

44 Quarta sententia quam nouissimè tuetur P. Compton disput. 7. log. à sect. 4. est definitionem esse obiectum attributionis logicæ. Pro hac opinione referri potest Plato dial. 7. de republica ibi; *ar enim nisi quis inquam & accipere possit, & reddere rationem nunquam sciet quicquam eorum, quæ esse dicimus cognoscenda.* Nonne hæc iam lex est in quam ò Glauco, qua per differendi artem ostenditur. Et paulo infra; *nemo autem aduersabitur nobis dicentibus, quod differendi facultas duntaxat, conatur ordine certo circa vnumquodque quid ipsum sit inuenire.* Et paulo etiam

etiam inferius; an non dialecticum vocas eum qui rationem cuiuslibet capit essentia? Ecce videtur Plato docere dialecticam, artemve differendi solam inquiri velut subiectum, finemque definitionem: quā cuiuslibet rei ratio reddi possit, & accipi, siue quid vnumquodque sit, inuenitur. At Plato me iudice in alia sententia est, tantumque id vult dialecticæ munus esse veritatem definiendo consequi, haud tamen negat eam prout quouis alio modo consequibilem dialecticæ subiici, eiusque finem esse. Fortassis etiam de vna tantum parte dialecticæ loquitur, eiusque obiectum attributionis veritatem solius definitionis asserit, quod nobis non aduersatur, qui de dialecticā vniuersaliter, & latissimè fusa sermonem habemus. Referri etiam potest pro eadem sententia Aristoteles 7. Metaphys. text. 4. *Scire etiam tunc putamus vnumquodque magis, cum quid est homo, aut ignis sciamus, quam quale, aut quantum, aut ubi; nam & horum ipsorum tunc vnumquodque scimus, cum quid est ipsum quale, aut ipsum quantum sciamus.* Et 3. Metaphys. text. 3. *cum enim multipliciter sit idem scire, magis quidem illum scire dicimus, qui rem quid nam sit ipso esse cognoscat; & paulo inferius; tunc scire vnumquodque eorum etiam quorum demonstratione sunt, arbitramur, cum quid est sciamus, ut quid Tetragonismos inuentio media est.* Et 2. post. cap. 2. *definitionem namque habens sine demonstratione sciet.* Vnde sic argui potest: Dialectica est ars siue modus sciendi iuxta omnes; habet ergo pro fine & obiecto attributionis scire; Cum ergo Aristoteles locis adductis doceat, rem maximè sciri per definitionem, hanc vtrique dialecticæ subiicit, finemque vltimum præstituit. Sed frustra allegatur pro hac sententia Aristoteles: quamvis enim scientiam rei sensu quodam stricto vsurpatam, eius definitionem esse censcat; cæterum, ut superius vidimus, scire latius patet iuxta eum & reliquos, & perinde est ac rem verè cognoscere siue quoad eius quidditatem, siue quoad aliud quoddumque: quapropter vera rei cognitio, qualis qualis sit, artis dialecticæ & modi sciendi finis intrinsecus erit, si Aristotelicam sequamur doctrinam. Atque ex his patet ad argumenta Comptoni.

45

Quinta sententia est, diuisionem esse obiectum attributionis dialecticæ: pro quo referri potest Plato in Sophista; *Per genera diuidere, & neque eandem speciem alteram putare, neque alteram rursus eandem esse nonne dialecticæ officium esse dicemus; quicumque hoc agere potest, vnam ideam per multa vnumquodque seorsum posito passim porrectam acutè persentiat, & multas, quæ diuersa inter se sunt extrinsecus sub vna comprehensas, & vnam rursus per tota illa quæ multa sunt in vno copulatam, & multas seorsum vndique distinctas: Hoc autem est scire per genus discernere quæ singula vicissim communicare possunt & quæ non possunt.* Præterea in Phædro sic ait; *huiusmodi ergo diuisiones collectionesque dicit Phædro amo, quo & intelligendi & loquendi sim compos.* Ac si quem alium vnum & multas, pro rerum natura perspicere posse arbitror, eius ego vestigia velut numinis cuiusdam sequor: atque eos qui id facere possunt, rectè eam contra cognominem, *Dæus ipse nouit: voco autem hæcenus dialecticos, quibus verbis videtur Plato in ea esse sententia ut existimet proprium finem ac subiectum dialecticæ esse, per genera diuidere, ideas inuicem separare ac discernere, vnum & multas perspicere.* Confirmatur ex iis quæ paulò infra in Phædro subiungit; *medendi artis atque dicendi eadem ferme ratio est: in vtrisque partiri naturam oportet, corporis quidem in vna, in altera anima, si modo non exerci-*

ratione solum & usu, verum etiam corpori medicinas & alimenta ita sit præbiturus, ut & sanum & robustum efficias, anima autem per rationes legitimasque institutiones persuasionem affatim, virtutemque adhibiturus. Hæc Plato; quod si diuidere naturam animæ, id est verba externa ab anima nascentia & prodeuntia est finis artis dicendi siue rhetoricæ, sanè diuidere verba interna & conceptus mentis eorumque obiecta quatenus talia finis erit dialecticæ, quæ circa verba interna non aliter versatur, atque rhetorica circa externa. Paulò etiam inferius ibidem sic ait; & superiora iterat & confirmat; *nisi auditorum quæ ingenia non erit distinxeritque, atque res ipsas in species suas discreuerit, rursus quæ singulas ideas vna comprehenderit, nunquam dicendi artem quoad homini licet adipiscetur.* En quatenus distinguere, siue diuidere rem per verba externa est finis artis dicendi siue rhetoricæ iuxta Platonem: ergo secundum eum diuisionis rei per verba interna & conceptus erit finis siue obiectum attributionis artis differendi ac dialecticæ nostræ. Verùm de mente Platonis satis constat, eumque potius veritatem dialecticæ quàm late patet, finem ac subiectum præstituisse nemo dubitabit, qui eius verba initio huius tractatus à nobis allegata perpenderit. Quæ autem modo allegantur ex Sophista & Phædro facilem habent explicationem: aliud enim est, dialecticæ munus esse diuidere, quod solum Plato edocuit, neque nobis aduersatur: aliud, hoc eius esse finem vnicum & adæquatum, siue eius subiectum, quod ille nunquam & nusquam asseruit. Forsitan etiam non de logica adæquate sumpta, sed de vna tantum eius parte sermonem habuit, si quando diuisionem logicæ subiectum insinuauit. His duobus modis paulò supra exposuimus ea illius verba, quibus definitionem huius scientiæ subicere videbatur. Porro eadem ratione qua Plato, exponendus etiam est Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. *Quin etiam dialectica videtur is qui est cognitione præditus, eligens diuisionem generis in species; & adducet eorum quæ sunt diuisionem, donec attingat prima & simplicia.* Sed ut dixi eundem quem Plato, in cuius doctrina fuit veratissimus explicatum capit.

Sexta sententia est, solam demonstrationem esse obiectum attributionis dialecticæ, eiusque, quod aiunt, summum & vltimum. Ita Simplicius, Ammonius Philoponus, Hurtadus disp. 1. logic. sect. 7. Rodericus & alij neoterici. Citari etiam solet Aristoteles cum aliis in locis, tum maximè cap. 1. text. 1. prior. analytic. *Primo dicere oportet, circa quid & cuiusnam sit hæc præsens consideratio. Atque est circa demonstrationem, & est scientia demonstrandi.* Quibus verbis videtur, demonstrationem sibi proponere tanquam subiectum, de quo in dialecticā suā differat. Sed ut rectè animaduertunt in præsentem Cardin. Toletus & Conimbrille qu. 5. procem. fine, hi etiam quæst. 5. art. 3. solius logicæ analyticæ seu resolutionis conclusionum in præmissas, demonstrationem perfectam ac strictè sumptam, aut certè eam latius & pro quacunque argumentatione vsurpatam, subiectum finemque esse, non verò logicæ vniuersaliter sumptæ, atque in omnes suas partes fuscæ, colligitur ex allegatis Aristotelis verbis, nimirum quæ non toti logicæ, sed tantum operi analytico præmiantur. Nisi verò sermo ei fuerit non de obiecto attributionis dialecticæ, sed de eius principali attributo, ut mauult. Fonseca lib. 2. met. cap. 3. quæst. 1. sect. 4.

46

Septima sententia est, modum sciendi, prout definitionem, diuisionem, & argumentationem com-

47

prehen

prehendit, huius facultatis subiectum esse. Eam sequitur P. Suar. disp. 1. met. sect. 4. Tartaretus in titulum Summul. Pet. Hispani art. 3. Mercado q. 1. Fonseca supra q. 1. sect. 5. Conimb. supra art. 3. Bernard. Mirandulanus initio log. Balthasar Tellez in annotatiunculis proemialibus summæ philosophicæ. Laudari etiam pro ea solet Aristot. lib. 2. Metaph. tex. 15. quod ibi logicam vocet modum sciendi, quo etiam nomine eam appellat August. lib. 2. de ordine c. 13. inquit; *illa igitur ratio perfecta dispositaque grammatica, admonita est, querere atque attendere hanc ipsam vim, quæ peperit artem: Nam eam definendo, distribuendo, colligendo, non solum digesserat atque ordinaverat, verum ab omni etiam falsitatis irreptione defenderat. Quando ergo transiret ad alia fabricanda: nisi ipsa sua prius quasi quedam machinamenta & instrumenta distingueret, notaret, digereret proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam dialecticam vocant.* Sed enim Aristoteles & August. huic sententiæ potius sunt contrarii, namque, iuxta eos modus siue instrumentum sciendi est ipsa logica, qui ergo fieri potest, ut hæc eum velut obiectum attributionis respiciat; id enim esset semetipsam solum intueri, cum tamen nulla sit scientia, quæ plus non polliceatur.

48

Octava sententia est Auicennæ initio logicæ atque aliorum Arabum: sic docet modum sciendi attributius sumptum, & quatenus solum definitionem, ac demonstrationem complectitur huius scientiæ subiectum esse.

Nona sententia est, argumentationem propterea in syllogismum, demonstrationem, enthymema, & reliquas omnes species suas manat, ac funditur dialecticæ obiectum attributionis esse: Ita Albertus Magnus in lib. prædicab. cap. 4.

Decima sententia syllogismum statuit esse subiectum logicæ. Ita Scotus q. 3. de prædic. & affectu. Refertur etiam Clemens Alexand. lib. 1. stomatum; *Poëta modos, actionem Rhetores, & syllogismos dialectici, & philosophi apprehendant eam, quæ ad se pertinent contemplationem;* Sed de subiecto his verbis sermo est, sed de principali obiecto dialecticæ, siue sit attributum siue obiectum attributionis, nam quæ dictio est communis rhetoricæ, grammaticæ, est etiam poëticæ; non ergo assignatur rhetoricæ velut subiectum, utpote quod duabus facultatibus nequit esse commune; haud ergo necesse est ut syllogismus eo loci tanquam subiectum logicæ tribuatur. Undecima sententia conclusioni demonstratiuæ, Duodecima conclusioni syllogisticæ, decima tertia cuiusque totam logicam attribuit ac velut subiecto superimponit: ita alij alijque neoterici. Decima quarta mauult consequentiam, siue illationem aut originem conclusionis à præmissis esse subiectum dialecticæ artis. Decima quinta Thomistarum præsertim recentium, quorum supra meminimus tract. præced. opinio est ens rationis logicæ summum, & ultimum esse. Decimasexta Aureoli, & ut refertur, Nominalium sententiæ voces logicæ finem ac subiectum tuetur. Decimasextima secta est, eorum quos tacitis nominibus refert P. Rodericus disp. 2. log. f. 5. subf. 1. Hi ut in met. lib. 8. tract. 5. cap. 5. videbimus, quatuor obiecta attributionis in vnam logicam accumulunt, videlicet propositionem, argumentationem, modum sciendi, & actum intellectus in communi. Decima octaua opinio est eorum, qui, iuxta doctrinam Gal. & Bonau. in met. lib. 8. tractatu 5. c. 6. n. 56. censent, triplex esse obiectum attributionis logicæ: primum velut totum radicale, nempe terminum, secundum velut totum vniuersale, scilicet

actum intellectus latissime fsum, tertium velut totum integrale, videlicet demonstrationem, aut iuxta alios syllogismum.

Decima nona sententia est aliquorum qui iuxta doctrinam tractatu præced. cap. ultimo num. 56. relatam & ipsis familiarem duplex statuunt obiectum attributionis siue subiectum adequatum logicæ, aliud scibile tantum, aliud scibile simul & operabile; Prius subiectum aiunt esse ens latissime fsum in omnia entia tam realia quam rationis, non tamen physicè tantum & primo intentionaliter sumptum, sed secundo intentionaliter, & propterea esse potest subiectum, prædicatum, medium, aut extremum maius minusve genus aut species, vniuersale aut indiuiduum, definitum, diuisum, demonstratum aliave simili affectum denominatione; Posterius subiectum iuxta eos est syllogismus. Prætermittam huius opinionis secunda parte Scoto & affectis haud dubie placitura, ut paulo supra visum, referri solent pro priori eius parte August. cap. 3. de Categ. ibi de Arist. quem sequitur sic loquens *cum de perceptis proposuerit disputare, & de his quæ sunt, & de his quæ dicuntur necessario loquuntur est.* Vbi per ea quæ sunt ens intelligendum est: hoc ergo iuxta August. Dialecticæ subicitur Item Arist. ipse 4. metaph. cap. 2. circa idem genus philosophicæ & Dialecticæ cum Philosophia versatur; & paululum antea; *ens vero commune omnibus est.* Deinde D. Thom. opusc. 56. *Manifestum est, quod logica notum faciat de omnibus entibus in communi.* Sed his testimoniis id tantum conuincitur, ens in communi siue res esse obiectum formale & immediatum Dialecticæ, ut expendimus supra tract. 3. c. 4. num. 42. Neque refert logicam, ac Metaphysicam dici habere idem subiectum, nempe ens in communi, nam sensus huius est, ens esse vtriusque subiectum, prædicationis quidem, non vero attributionis: Horum autem subiectorum discrimen, et si huius sententiæ patronis aduersetur, rationi tamen contentaneum esse, & reliquis omnibus scholasticis familiare ostendimus in Metaph. lib. 8. tract. 5. cap. 6. n. 57. Frustra ergo prædicta testimonia à suo scopo in alium detorquentur.

Verum enim vero transeat idem esse subiectum prædicationis, & subiectum attributionis, adeoque de hoc sermonem esse locis illis quibus magna nomina Aristotelis, Augustini, & Thomæ nobis opponuntur: nihilominus exinde tantum fiet ens commune, siue res esse obiectum attributionis logicæ propterea subest definitioni, aut demonstrationi, aut syllogismo, aut actuvero, aut alij alijque intentioni secundæ: hoc autem pacto quis neget ens esse obiectum attributionis logicæ, arbitrari esse neminem, nisi fortassis paucos Thomistas, qui subiectum attributionis cum ratione formali confundunt: Quemadmodum enim visio beatifica à nullo censetur finis noster ultimus, quin etiam Deus respectu illius, ac propterea visus eandem rationem finis obtineat, ita nec syllogismus, nec demonstratio, ne actus verus, nec alia intentio secunda finis dialecticæ, eiusque obiectum attributionis sine re cognita ab illo fermè existimatur: Quorsum ergo testimoniorum apparatus ille, qui nullis minus obest, quam illis aduersus quos assertur, nullisque minus prodest, quam iis pro quibus apportatur? Quapropter ego sententiam hanc decimanonam, quatenus statuit ens esse obiectum attributionis dialecticæ, aut euidenter falsam, aut certè solarum vocum dissidio à cæteris diuersam, ac proinde ex vano adinuentam arbitror: Etenim aut ens primo intentionaliter, & physicè duntaxat sumptum, nulloque secundarum intentionum respectu habito

49

50

habito subiectum logicæ facit ; atquiens ita acceptum videlicet sine respectu ad rationis opus , cui subfit, nihilominus scientiæ, non reali, sed rationali velut proprium subiectum adscribere, ab omni profus ratione alienum est, & non solum à vero, sed etiã ab omni eius similitudine multum abscedit: sin autẽ ea sententia ens secundo intentionaliter sumptum, & provt obiectum alicuius secundæ intentionis dialecticæ subiicit , ac velut genus præstituit, nihil noui affert præter solas voces, & earum abusum omnes enim ferẽ auctores ens hoc posteriori modo usurpatum dialecticæ subiiciunt, eiusque genus esse velut exploratum supponunt: Non aliud tamen subiectum illud vocant ab eo quod dialecticis regulis principaliter operabile censent, & quidem iure optimo, vt visionis beatæ, Deique per eam visi exemplo, iterum, iterumque explicuimus. Postrema sententia est Zabarella lib. 1. de natura logicæ cap. 17. nullum esse subiectum dialecticæ propriè sumptum.

51 Hæ sunt sententiæ, quas inuenire potui de obiecto attributionis, ac sine dialecticæ: eas tot fuisse non demitor, cum de sine hominis, quo inter homines nihil exploratius deberet esse, ducentas tamen & octoginta octo sectas distinxerit Varro apud Augustinum de ciuitate Dei lib. 19. cap. 1. Porro autem quas hætenus suo ordine retuli, eas etiam viritum refellere prolixum, ac superuacaneum esset; proinde satis habeo illas veluti transitu quodam perstringere, ac summa sequi fastigia rerum. Imprimis ergo, quæ adduci solent testimonia Aristotelis, Platonis, Augustini, Clementis, & aliorum pro prædictis sententiis parum eis fauere, vel hoc ipso cap. ostensum manet. Adhæc, omnes rationes, quibus nostra de obiecto attributionis dialecticæ opinio probata est, quæ quam efficaces sunt aliorum iudicio relinquo, eæ nuper memoratas sententias improbant: Aliæ etiam rationes hoc cap. aduersus eas sunt insinuatæ. Rursus quas recensuimus opiniones aliæ assumunt relationem attributorum ad subiectum tam in scientiis practicis, quam speculatiuis esse dumtaxat arbitrariam, siue ex instituto, plerique verò in vtrisque tantum naturalem, & à cuiusvis arbitrio independentem: Harum etiam plures eam esse in esse cognito, siue cognitionum omnium ad aliquam vltimam potissime intentam, non pauca verò in esse solius rei: præterea aliquæ ad subiectum exigunt, vt sit magis perfectum obiectum totius scientiæ, aliæ vt sit magis vnum, ac simplex, contra verò multæ vt sit magis commune vniuersaliter, neque non etiam vt integram latitudinem habeat, eam qua cuncta scientiæ obiecta coërceat. Quædam sola subiecta partialia, nonnullæ verò solas rationes formales rationem subiecti totalis obtinere contendunt. At hæc omnia, quæ memoratæ sententiæ assumunt, quibusque potissimum innituntur procul vero esse ostendimus in met. citato lib. 8. tra. 5. cap. 5. & 6 qui ergo fieri potest, vt non falsa sint inde deriuata dogmata, circa obiectum attributionis logicæ.

52 Vtteriùs opinionum quas meminimus aliæ plura assignant obiecta attributionis cuiuslibet scientiæ, quod locis nuper citatis latè confutauimus: Aliæ verò, quæ est Zabarella, vnum quidem obiectum attributionis aliquibus largitur, nempe logicæ, & reliquis scientiis practicis: hoc autem falsum esse constat: Primò quia logica, qualis qualis facultas sit, & siue ars, siue scientia, vna tamen est, aliquod igitur subiectum habet, cui vnitatem suam acceptam referat: secundò quoniam logica saltem impropiè scientia est, igitur improprium aliquod subiectum respicit, cedo ergo quale sit: tertio, quia Theologia

propriè non est scientia ab Arist. definita, vt ex communi sententia docet P. Vasquez tom. 1. in primam partem disp. 4. cap. 8. & tamen suum habet obiectum attributionis, Deum videlicet, vt aduersarij non inficiantur. Quartò, artes practicæ, siue ingenuæ, siue mechanicæ, suos habent fines, in quos referuntur; dialectica ergo similiter, siue sit scientia siue non, suum habebit finem intrinsecum & immediatum, siue subiectum obiectumve attributionis vocetur, siue non; hæc enim solius verbi controuersia est, de qua parum curandum, vbi de re ipsa constat. Tandem dialectica propriè scientia est; & in loco clarebit; igitur ex hoc titulo, non est quod obiectum attributionis subiectumve sibi non vendicat. Vide Auerlam quæst. 2. log. in procemio, vbi quod logica & aliæ facultates practicæ subiectum suum habeant luce clarius esse affirmat.

Hinc argumenta pro sententia Zabarella à neotericis quibusdam obiecta facili negotio diluuntur. Primum ita habet, dialectica non est propriè scientia, cum sit facultas practica, nullum igitur habet obiectum attributionis: qua ratione artes mechanicae & illiberales obiecto attributionis propriè sumpto carent. Sed dialecticam in scientiis propriè sumptis numerandam esse tract. ult. huius lib. constabit; idque tamen facultas practica esse censetur. Rursus quod artes practicæ prorsus illiberales adeoque inter scientias neutiquam reputatæ, nihilominus habent obiectum attributionis, multis patibus verius est, atque probabilius vt paulò supra supposuimus, quanquam ergo logica nõ esset scientia more artium practicarum, & illiberalium, ex hoc tamen obiectum attributionis ei negari haudquam deberet. Secundum aduersariæ opinionis fundamentum sic habet: logica penes aliquos saltem actus est practica, & penes alios speculatiua: igitur vnum aliquod obiectum attributionis sibi præstitui non potest: Probatur hæc consequentia: quoniam talis finis, siue obiectum nequit esse praxis, in quam pars theoria logica non est referibilis; aliàs theoria seu speculatiua non esset: neque potest esse mera speculatio obiecti, in quam pars practica logicæ irreuocabilis est; aliàs practica neutiquam futura. Item simul praxis & non praxis, seu veritas merè speculabilis esse nequit: omnino ergo repugnat vni quoduis obiectum attributionis, in quod tota logica referatur. Sed respondeo, subiectum totius logicæ finemque præcipuum esse praxim, videlicet veritatem formalem, provt proximè exequibilem præceptis & institutis dialecticis. Pars autem speculatiua logicæ talis esse potest, respectu sui obiecti proximi & immediati, vt vt in opus dialecticæ subiectum eiusque finem exequendum remotè & mediatè destinetur: quo pacto plures cognitiones speculatiue artis medicinae v. g. propriè circa naturam corporis humani ad sanitatis executionem & praxim mediatè & extrinsece referuntur.



TRACTATUS III.

De modo repræsentandi Dialecticæ.

CAPVT I.

*Quatenus Dialectica docendo & vtendo
obiectum suum repræsentet?*

5 Superuacaneum esset viritum referre auctores, qui logicam in docentem, & vtentem dispelcunt. Etenim